



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.l.], 1558

Capvt XXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)

T H E O L O G I A

namue aut præceptum expectent. Alia item ratione non egent vlla lege, vt eius opera sibi ipsis aliquid comparent, aut lucrentur, aut aliquam vtilitatem concilient. Quicquid enim hisce rebus, aut etiã omnium creaturarum adminiculo aut oratione, verbis aut opere, in æterna vita, aut ad æternam vitam comparari componiq; potest, id omne iam habent paratum. Hoc pacto si rem accipias, verum est, posse hominem omni lege & virtute, omniumque etiam creaturarum opere, scientia, & viribus superiorem euadere.

Verum illud alterum si dicatur, vtrunq; debere fieri, videlicet vt & Christi vita, & omnia præcepta, leges, cæremonia, instituta, & similia deponantur & excutiatur, & eadem negligantur, contemnantur, & derisioni habeantur, falsum e mentitumque est.

C A P V T   X X I X.

**N**Vnc dicet aliquis: Si igitur neque Christus, neque alij homines, Christi vita, aut omnibus cæremonijs, institutis, & similibus, quicquam consequi, aut vtile efficere valent

lent (nam quæ illis rebus consequenda sunt, ea habent ipsi protinus) quid causæ deinceps est, cur non illa omittere debeant? debent? ne illis postea uti, eaque tractare, & diutius adhibere?

Hoc animaduertendum est, esse *Lumina duo,*  
 duo lumina. Vnum est verum lumen, *verum & falsum.*  
 alterum falsum. Verum lumen, est æternum lumen, qui Deus est: aut est creatum lumen, quod tamen diuinum est, & gratia nuncupatur. atque hoc omne est verum lumen. Alterum lumen est falsum, videlicet naturæ, aut naturale. Sed cur sit primum lumen verum, alterum falsum, melius animaduerti, quam scribi, dici ue potest. Ad Deum, ut diuinitatem, pertinet nihil, neque voluntas, neque scientia, aut patefactio, neque quicquã omnino, quod nominari, dici, cogitariue queat. Sed ad Deum, ut Deum, pertinet, ut seipsum aperiat, seipsum cognoscat & amet, seipsum sibi ipsi patefaciat in seipso, idque omne in Deo: & quidẽ ut essetia, nõ ut actionem, quippe quæ sine creatura sit, atque in hac patefactione & manifestatione sit personarum distinctio.

At

*In Chri-  
 sti vita  
 esse per  
 seuerare  
 dum.*

At vbi Deus vt Deus homo est, aut vbi Deus in aliquo diuino siue deificato homine viuit, pertinet aliquid ad Deum, quod sit eius proprium, & ad eū solum, non ad creaturas pertineat: estque id in seipso sine creatura, origine & essentia, non forma aut actione: & tamen vult Deus id ipsum exerceri. nā ideo est, vt ad actionem conferatur, atq; exerceatur: & verò quid aliud? Scilicet sit id otiosum? Quid igitur prodesset? Quod enim nusquam vtile est, id nequicquam est: atqui hoc non vult Deus, aut natura. Quòd si vult Deus hoc exerceri, & ad actionem conferri, & id sine creaturis fieri nō potest, necesse est vt ita fiat. Quid? si non esset hoc aut illud, aut si non esset vllum opus aut actio, aut similia, quid esset, aut quid ipsemet Deus futurus esset, aut quid esset ipse? Hic reuertendum, & consistendum est: alioquin periculum est, ne hoc eousque quasi arrependo persequaris, vt tandem nescias, quò te veritas, aut quo pacto inde rursus erepere queas.